





**S**treiherr v. Ende-Siljessnitz.

28. 18

De  
**AUROOBRYZO,**  
Et  
**ARGENTO PU-**  
**SULATO,**

Ad Suetonii, & Jur. Civ. loca quædam,  
PRÆSIDE  
**DN. GEORGIO CASPARE**  
**KIRCHMAJERO,**  
Orator. in Electorali Saxonum ad  
Albim Acad. Prof. Publ.

*Hospite, Præceptore, ac Patrono suo  
eternum devenerando,*

*Disputabit publicè,  
Ad Diem XI. Aprilis Horis Antem. in Audit. Maj.*

*A. S. M DC LXXXIX.*

AUTOR

**JOHANNES SAMUEL STRYKIUS,**  
Francof. Marchic.

---

*WITTEBERGÆ,*  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

*Perillustri, & Generosissimo  
DOMINO  
DN. GODOFREDO  
DE JENA,*

Serenissimi, atqve Potentiss. Electoris  
Brandenburgici Consiliario Status intimo,  
Ducatusq; Magdeburgensis CAN-  
CELLARIO eminentissimo, &c.

Dn. in Dobberniß/ Thumendorff/ &c.  
VIR O,

De publicâ totius Imperii Salute in Comitiis  
Ratisbonensibus per seculi quadran-  
tem excellentissimè merito,

*Mecænati suo summo,*

Exercitium hoc Academicum,

ac simul  
teneras suas Musas

consecrat

*perpetuus Cultor,*  
**J. S. STRYKIUS.**



I. N. D. N. J. C.

## Præfatio ad Lectorem.

**D**um ab illis, quibus debedo amorem & honorem, jubeor ad aliud eruditio[n]is specimen in publicum edendum progredi, propositosq[ue] ex Romanis libris textūs, curioso studio, multiplicem præbentes passim usum, in scientiâ Legali maximè, enucleare; obsequendi gloriam reliquitam mihi esse, haud ex vano intellexi. Agam igitur, quod partium mearum est, & si non sat agam illarum, in re valdè dubiâ & pulchrâ, nihilominus Benevolum Lectorem, ut labori huic faveat, modeſtè exorabo.

Ex Sueton. Tranquill.

Neron. c. 44.

Partem etiam censūs omnes ordines conferre iusſit: Et insuper inquilinos privatuarum aedium atque insularum pensionem annuam repræsentare Fisco.

A 2

Exe-

8(2.)  
Exegitq; ingenti fastidio & acerbitate nummum  
asperum, Argentum pustulatum, Au-  
rum ad Obrussam.

Ex L. Singular. Codd. Theodos. & Justin. de  
Oblat. Votor.

### Codex Theodosianus.

Quando votis communibus felix annus aperitur,  
in unâ librâ Auri solidi septuaginta.  
duo Obryziaci Principibus offerendi devotio-  
nem animo lubenti suscipimus. Statuentes, ut de-  
inceps sequentibus annis uniuscujusque sedulitas  
Principibus suis talia ingerant semper & deferant.  
Dat. III. Nonas Martij, Med. Olyb. & Probino Coss.

### Codex Justinianeus.

Impp. Arcad. & Honor A. A. Basilio P. L.

Quando votis communibus felix annus aperitur,  
in unâ librâ Auri & Solidis Obryzatis  
Principibus offerendi devotionem animo lubenti su-  
scipimus. Statuentes, ut deinceps sequentibus annis  
uniuscujusque sedulitas Principibus suis talia in-  
ferat semper & deferat. Dat. III. Non. Mart Med.  
Olybrio & Probino Coss.

Ex L.

Ex L. in Navem 31 ff. Locat.

In navem Sauffeji cum complures frumentum confuderant, Sauffejus uni ex his frumentum reddiderat de communi E<sup>t</sup>navis perierat. Quæsum est, an ceteri pro suâ parte frumenti cum nautâ agere possint, oneris aversi actione? Respondit, rerum locatarum duo genera esse, ut aut idem redderetur, sicuti cum vestimenta fulloni curanda locarentur: aut ejusdem generis redderetur; veluti cum

Argentum pusulatum fabro daretur ut vasa fierent, aut Aurum, ut annuli; ex superiori causa rem domini manere, ex posteriore in creditum iri.

## CAPUT I.

### A U R O   <sup>De</sup> O B R Y Z O.

§. I.

**E**volutio Nominis AURI & OBRYZI exhibenda, quoad Etymologiam. Auri vox, origine Græca, dicitur *Becmanno in L.L.Origg.* ab αὐρεῖς, unde θήσαυροι, thesaurus scil. à θήσει & αὐρεῖς. Est enim theca, ubi aurum & id genus pretiosa reponuntur. A metallo nobili, & fulgore, prævio diei, dicta est *Aurora*; inde Græcis ὥρα tempus denotat. *Reinesius* ὁ Πάρων, III. lection. va-

A 3

riar.

48 (4.)

variar. 13. Αὐρῆς Græcis veteribus est idem, qvod Latinis aurum. *Scaliger exercit. de Lingv. Lat.* c. 9. & *exercit. de Subtilitat.* 78. Αὔρη significat illustre quoddam & pellucidum; hinc aura est & aëris. Desumpserunt Græci ab Hebræis, qui אָרֶן lumen, lumen, ut אָרֶן ignem nominant. Idem alibi *Reines.* 2. variar. lect. 14. Aurum ab αὐρῷ, hoc est splendore & fulgore; unde & aurigo, morbi genus, qui colore aureo ac flavescente reddit homines. **Obryzi**, *obruissa* & *obryziaci* vocabula si expendantur, non sunt confundenda. **Obryzus**, *a*, *um*, *Francisco Gouldmanno* in *Lex. Anglico-Latino* puratum, purum, & excoctum igne, notat; quali ἀβρυζόν lincerum, delicatum. Dicitur eidem & *obryzus*, *obrisus*, ac *obruissus* à colore rufso, rubro. **Obryzum** *Plinio* est perfectum aurum, fein Gold; **Obryza** vel *Obruissa*, per ignem probatio, δοκιμασία, examen auri; obiter per Lydium Lapidem, sed accuratiùs per cineritium, seu cupellam, accuratissimè per Antimonium & cœmentum, aut aquam Chrysolcam. *Vossius in Etymolog. Lat.* nec *Obryzum*, nec *Obrixum*, aut *Obrisum*, sed

sed *Obrissum* eligit; cùm ὄβρισσον appelleat etiam  
*Thucydideus Scholiaſtes*, & in *Glossario Meursius*.  
 ut ex Αἰθηνίῳ Atticisso, ex πορφυρίῳ purpuris-  
 sum est. Tandem tamen seqvitur *Hierony-  
 mum*; qvi ab *Ophir*, qvasi *Ophirisum*,  
 dictum *Obrisum*, ex ipsius fide, credidit. *Obrus-  
 sa à Tullio*, *Seneca*, *Tranquillo* usitata, à  
 Librariis corrupta vox normam denotat, ad qvam  
 examinatur *Aurum*. Locum *Ciceronis* occur-  
 rentem in illius *Bruto* depravatum, & legendum  
 judicat *Turnebus l. 14. advers. c. 22.* Adbiben-  
 da ratio cum obrussa, vel ad obrussam, pro his ver-  
 bis: *adbibenda tanquam* &c. Etsi verò *Hoto-  
 manius*, in politiori literaturâ & antiquitate non  
 minùs excellens, qvam scientia juris, statuat (*An-  
 tiqu. Roman. l. 4 p. 655.*) in *indaganda notione no-*  
*minis illius fruſtrà homines ſe doctos fatigare*; qvòd  
 in officina *monetali natum fit*: fatendum nihilo-  
 minùs, non posse ſenſum vel in allegatis locis de-  
 bitè intelligi; vel de *Obryzo Auro*, velut  
 norma, rectè judicari, ſi origo aut formalis ejus ra-  
 tio ignoretur. *Fruſtrà* qvidem *Isidorus Hi-  
 spal.*

•(6.)•

*Spal. lib. 10. Origg. c. 17.* **Obrisum** aurum nominat, & à splendore dictum puitat; qvoniam obradiet splendore & plus luce repercussâ fulgeat. Frustrà magnus *Cl. Salmasius*, veluti **Obridium**, ab obridere, dicit; qvòd cùm sibilo efferrí syllaba Græcorum qvoqve soleat; ut *Zeta* pro diæta, *Zabolus* pro *diabolo*. videatur eò *Cæl. Rhodig.* 2. Antiqv. Lect. 10. *Casp. Sciopp. Institut. Gramm. p. 198.* *Casp. Barthius*, animadv. ad *Phabad*. nec non *Andr. Senftlebius* de alea veter. c. 3. Frustrà aurum **Obryzatum** quasi **Ophiriticum** *Salomonis* dictum credidere *Villalpandus*, *Beroaldus*, *Del-Rio* & *Pererius*. Rationes vide apud inclytum *Lipenium in Navig. Salomonis Ophiritica c. 6. Sect. 1. §. 6.* & *de Stren. Civil. c. 3. §. 66. seqq.* ubi plura hanc in rem facientia. Absurdè admodùm *Johan. Gorrop. Becanus* ex dialecto suâ *Flandricâ Obryzum* derivare Aurum ausus est, quasi **Oberreisum** sive **Oberrisum**; quòd ex profectione nauticâ longinquâ, aut longissimâ sic audiat; da einer eine Ober (id est über) Reise ower/oder über

(7.)

her das Meer thut. Auditum admissi risum teneatis amici! Omnia optimè **Obryzum** à voce Græca ὄβρυζον deducas; quo significatur sæpius excoctum atque despumatum. **Ρεύσειν** autem ac ὄβρυσεῖν, quod coincidit cum **Ρεύειν** (spumare per effervescentiam, & veluti in florem ebullire,) dicitur peræque, atque **βρύμος**, **ὄβρειμος**. Ur aurum adeò sincerum, purum, purgatissimum, & consummatum habeatur à *Consummatisimis* **J. Ctis, Dn. D.**

**ZIEGLERO**, Patrono meo semper venerando, in Kalend. suis Januariis, Anno 1657. publicatis, lit. D. 3. & Dn. Joh. Strauchio, Comment. subit. in Leg. sing. Cod. utroq; de eodem argumento, c. 4.

Qui posterior rectè monet, lectionē **Theodosiani** Codicis corruptam & solœcam manifestè esse, adeò, ut cubet etiam in mendo. Quid enim hoc? **Suscipimus devotionem offerendi Principibus solidi LXXII. obryziaci?** Qvare aut legendum: *in solidis*; aut: *solidos LXXII. obryziacos.*

§. II. Hæc de vocum *Etymologia*; nunc *Synonymiam* pariter spectemus. Non sunt, ut ante constitit, æqvipollentia **Obryzum** aurum, **Obryziacum**, sive **Obryzatum**, & **Obrussa**. Exigere ad Obrussam vel Obryzam, est examinare

B

aurum,

aurum, & experimentum ejus capere; quod modo non fit uno, sed communiter per ignem, aliudve genus aliquod δονιμασίας. *Auri* (ait Plinius in Hist. Nat. l. 33. c. 3.) experimentum ignis est, ut simili colore rubeat ignescatq; ; atq; ipsum (scil. experimentum) obrussam vocant. Glossæ veteres: Τὸ δονίμιον, τὸ χειροῦ ὄταν καίεται καλῶσιν ὀβρυσσόν; corruptè vulgò legunt ὠδγαῖσθαι. Hoc sensu *Comes* dicitur **Obrussæ** vel **Obryzæ**; ut ex nummis vindicat hoc postliminiò **Reinesius**, Epist. ad Rupert. 51. p. 460. ex characteribus his COM. OB. Qvanqvàm non *Comitem*, sed *Comitivam* potius indigitari, *Strauchius* contendat. Ab **Obryzo** **Obryziacum**, **Obryziatum**, **Obryzatum**; sed non *obridium* *Salmasii*. Hinc facilè intelligas, quid inter *obryziacos* & *obryzatos* solidos intersit? id est, sola lectio *Theodosiani Codicis*, nec non *Justinianéi*. Non autem solidos *obryzos*, vel *obryssos* nominant Imperatores; sed **Obryziacos**, ut & *obryziatos*. *Obryzi* auri statuit synonyma. Ven. Dn. D. *Zieglerus* ex *Julio Capitolino* au-  
rum

sc (9.) 10

rum elutum, ex *Junio Tremellio* præstans, as-  
servatum, *Ophirinum*, *Uphaz*. Addi potest ex  
*Buxtorffii Sen. Lex.* ad vocem *Zababb*; septem  
Auri genera numerari à *Talmudicis*; qvæ inter *au-*  
*rum bonum*, qvod distingvitur à vulgari, *aurum O-*  
*phir*, *aurum Parvajim* (2. *Paralip.* 3, 9.) *aurum Paz*,  
& *Uphaz*, atqve *Sagur*; nam *Zababb* generale no-  
men creditur. Sed ad nos illa nihil. Locus spectat  
huc *Matthesii* ex *Sarept. Conc. 4.* Wir nennen  
das beste Gold/ das seine 24. Gran hält / (malim potius  
ceratia; Karath und Gran sind nicht synonyma; Denn  
ist Karath thun 6. Gran/) und nichts unreines mehr beh-  
sich hat/ auch rein/ lauter/ fein oder Parvain-Gold/ kla-  
res/ ledig/ oder löthig Gold/ darvon aller Sporck und  
Wildigkeit abgeschieden oder abgebrandt ist/ wie et-  
wan das alte Obryzum, oder Ophirisch und Arabisch/  
heute das Ungarische Gold ist; dem nichts zugesezt  
wird/ wie dem Rheinischen und Krohnens Gold. Il-  
la tamen, qvæ seqvuntur, non arrident: Obryzum  
ist ohne Zweifel von dem Gold-Land Ophirah Obryzum  
genennet; darum daß man aus den Indianischen Staub  
und Sande das edelste Gold wusche ic. Illud quidem fa-  
ciles largimur, aurum optimum haberi vulgo, qvod  
colligitur ex fluminum ramentis; ut in *Tago Hispaniæ*, *Pado Italiae*, *Hebro Thraciæ*, *Pactolo Asiae*, *Gange*  
*Indiae*; (verba *Plinii* hæc sunt *Hist. Nat. l. 33. c. 4.*

(10.)

qvibus addimus Germaniæ *Rhenum* atque *Albim*;  
ex qvo ultimo, *Albini & Kentmanni* testi-  
moniis, Saxonie Elector Divus olim *Ioh. Fride-  
ricus* torqvem aureum, collectum aureo è sabulo  
Marcar. XV. cum diuidiā gestaverat,) nec ullum  
abfolutius.

§. III. Nomen *Auri & Obryzi* vidi-  
mus: nunc rem lustremus etiam. Aurum alias  
*Metallum perfectissimum, nobilissimum, pondero-  
fissimum, ductile, durabile, invictum ignibus, ex Prin-  
cipiis Chymicis temperatisimè compactis genera-  
tum* dicitur Naturæ scrutatoribus; de qvibus singu-  
lis hîc differendi locus non est. *Obryzum*,  
qvod peregrino nomine appellant *finum & finisfi-  
mum* à puritatis gradibus, ab omni sorde ac me-  
tallo alio, 24. Ceratiorum in commune nominant;  
de qvo *Matthesius in Sarept. Conc. 14.* Im  
Gold-Gewicht wird die Marck in 24. Karath getheilet.  
Denn gar fein Gold soll aus 24. Karath gradiret seyn/  
1. Karath in 4. Gran/ 1. Gran in 3. Grân. Idemque paulo  
ante: das Wort lôthig ist im Kaiserlichen Poenstall ge-  
blieben / zehn Marck lôthiges Goldes;  
oder/ wie etliche meinen/ daß es ledig Gold heisse; das  
rein/lauter/ und vom Gebürge erlediget ist: wie gemah-  
len oder abgeqvicst/oder Wasch-Gold pflegt zu seyn. Hæc  
ille.

ille. Aurum nempe vel **Obryzum** (vulgò finum)  
 vel **Ceratiorum**. Illud purissimum est, ac liberum  
 ab omni sorde ac metallo; hoc argenti aliquid aut  
 cupri pro additamento habet; & est quadruplex  
 (1) Horn-Gold/ hat in der March 9½ Karath/ (2) Kroh-  
 nen-Gold/ hat in der March 18. Karath/ (3) Ungarisch-  
 Gold / hat in der March 23. und  $\frac{1}{2}$  Karath: (4) Ros-  
 senobel-Gold/ hat in der March 23. und  $\frac{1}{2}$  Theil Karat.  
 Die Krohne ist ins gemein  $1\frac{1}{2}$  Thaler; die Unze Gold  
 6. Ducaten/ i. March 36/ i. is Gold 72. Ducaten. Quæ  
 non è proferuntur animo, ut cum **Didaco Co-**  
**varruvia, Carolus Molinæus** se tueri pos-  
 sit de usur. quæst. 100. n. 769. Tract. de mut. monet.  
 apud **Renerum Budelium** l. i. de monet.  
 c. 9. & seqq. docens aurum nullum inveniri, quod  
 metalli alieni omnis expers sit: cum hoc Natura  
 pariter, & ars refellat; ut mox apparebit. Ipseque  
 Vir Celeberr. **Budelius** fatetur, vicibus abs se  
 non unis olim pariter confectionum, & ab omni hete-  
 rogeneo purgatum esse. Nec **Bodinus de Rep.**  
 l. 6. c. 3. meretur fidem; qui, quantumvis neq; asser-  
 rat, nec neget idem, sine magno nibilominus dispen-  
 dio id posse fieri, inficiatur: quam opinionem Do-  
 cimastæ rident, & aurifabri peritiores. Hauserunt  
 forsitan è **Plinio** errorem, qui in **H. Nat. l. 33. c. 4.**

scribit: *Incitaverat spes Cajum Principem (Calig.) avidissimum auri; quamobrem jusfit excoqui magnum pondus, & planè fecit aurum excellens. Sed ita parvi ponderis, ut detrimentum sentiret. -- Nec postea tentatum ab ullo est.* Ibidem idem *Plinius* testatur, quod pro regula notandum: *Ubi cunq[ue] quinta argenti portio est, electrum vocatur.* Illud certum equidem, non esse illicò *Obryzum*, qvod videtur; qvale illud in *Ballucæ* & *χεισάμμῳ*. Vox Ballucæ propria Hispanis, *Plinio* notante, (ab Imperat. etiam adhibita, ab *Accursio* per-quidem-ridiculè exposita,) nequaquam semper liberum ab omni alieno corpore admisto aurum denotat; tametsi fieri quandoque possit, ut exactè totum ad Naturam abeat *Obryzi*. Atque inde liquet, cur ballucæ libra uncias XIV. contineat in Jure, uti uncias XII. *Obryzi* libra: cum illi plus adhæreat impuritatis. Qvod si expendisset nostrâ laude major, *Dionysius Godofredus*, quæstionem non movisset; cur Ballucæ libra pluris, quam *Obryzum* estimetur aurum? si quidem in *L. 2. C. de Metallar. & Metall. statuatur*, ut Ballucæ uncias X. pro singulis *Obryzi* libris inferant, qui conduxerunt.

§.IV.

§. IV. Descriptionem rei excipit, si non *Divisio*,  
*varietas* hoc loco tamen. *Aurum* aliud *Ob-*  
*ryzum à Natura*, aliud *ab arte* dicitur. Istud i-  
terum *vel tale est*, *vel hactenus appetet*, & commu-  
niter habetur pro *Obryzo*. Naturale, sine manu  
hominis artifice creatum est à Conditore rerum in  
creatione primâ ; aut ex semine aurifico in terra or-  
dinariè productum posteà & hodièque. De priori-  
ris veritate instruit nos sacer Codex. Denn Mose  
( verba sunt Matthesii ex 2. Conc. in Sarept. ) dencket  
mit klaren Worten / daß Gold-Seiffen / die das klare-  
ste und reineste Gold an flüschen / und Körnern gefüh-  
ret / nicht allein vor Adams Fall / sondern auch vor desß  
Menschen Erschaffung schon gewesen seyn. Denn der  
Sohn Gottes / der in der Zeit seines Fleisches eine gül-  
dene Münze ins Fisches Mund schuff ( Matth. 17, 27. )  
ohne Flezen und Gänge / Schwefel und Quecksilber /  
der hat auch in der Kraft seines Sprechens ( fiat ! )  
flugs im Anfang dicht und lothig Gold in seine Silber-  
Berge sprechen und schaffen können / und wollen ;  
ehe noch die Wasser einen Gang entblößet. -- Dar-  
umb schreibt Mose / im Wasser Pison finde man  
Gold / und das Gold des Landes sey das kost-  
lichste. De posterioris existentiâ historiæ loquun-  
tur & experientiæ. In Gallia Lugdunensis territo-  
rio ( inquit Pierre Matthieu Tom. II. Hist.  
Gall. l. 5. narrat. 1. p. 209. ) Anno 1602. prope pagum  
de S.

de S. Martin de la pleine, in vinea rustici cuiusdam  
fructuosissimâ, fodiens vinitor terram, eruit silicem  
scatentem auro: hinc cùm diligentius inquireretur,  
ditissimæ mineræ auri inventæ fuerunt. Ex erutis  
particulis una Regi Henrico Magno oblata à P.  
Matthæo. Tantæ verò puritatis illud aurum  
fuit, ut dici posse, (pergit Autor,) intra 5000. anno-  
rum spatiū Solem in terræ visceribus nihil perfe-  
ctius efformasse. Meritisimus de literis & Collegio  
Curiosor. Naturæ olim Vir, D. Philippus Ja-  
cobus Sachsius à Levvenhaimb in Ap-  
πελογίᾳ L. 1. c. 5. refert; Famam tunc tem-  
poris tulisse, vinitorem aliquem in vineâ qvadām  
circa Dresdam, funiculum quendam invenisse, qui  
se, dum illum extrahit, ad aliquot ulnarum longi-  
tudinem extendit, disrupto tandem funiculo, lapis  
Lydius testatus est *Obryzum Aurum* esse. In  
Hungariâ quoque vites dari, qvæ qvasdam clavi-  
culas & plerumq; candicantia folia ex puro auro  
germinantia habent, perhibent. Alex. ab Alex.  
Genial. Dier. 4. 9. Merula Cosmogr. 10. 27. Mi-  
zald. 2 memor. 1. Porta Phytop. 2, 6. Ut verò  
eò certius de hujus rei veritate constet, in theatrum  
iterum produco anteà laudatum Dn. Sachsi-  
um à

(15.)

um ab *Levvenhaimb*, qvi sibi retulisse, ait,  
**D. Matthæum Heldum**, à se visos botros,  
qvorum acini compactis auri striis mirè splendu-  
erint; adeò, ut folliculi, seu membranæ exterioreſ au-  
ro quasi obducentur; quos racemos non fo-  
lùm manibus tractaverit, sed de iisdem judicium su-  
um promere, ab assidentibus Principibus, jussus fu-  
erit. Talem auri particulam inter *rariora Natu-  
ralia* asservat sua etiam **Excellentissimus Dn.  
Præses**; quem instar Parentis veneror. Ut a-  
deò absurdum non sit, dicere, Naturam quoque pu-  
rissimum producere sàpè aurum, qvod nos **Obry-  
zum** appellamus. Ne sibi soli placeant cum  
*Tago Iberi, Indi* cum *Pactolo* suo; etiam è *Rheni* al-  
veo per longum tempus expiscari aurum licuit.  
Non qvòd in Rheno ipso generetur aurum, sed  
qvòd è montium auriferorum fibris ac radicibus  
abrasum arenis involvat, & in certos vortices ac ca-  
veas (in *Goldgründē* da gegoldet wird) per cumulos  
vis aquæ congerat. Hinc improbo labore urinan-  
tium, unà cum ipso sabulo (cui nomen auri etiam  
adhæsit) haustum è profundo & extractum, pluri-  
maqve lotione deniqve perfusum, tenuissimis in-  
grumulis comparet. De qvibus vid. **Mar-  
quard. Freher.** in *Origg. Palat.* c. 17.

C

§.V.

**S. V. Obryzum Artificiale** dicitur seint  
 oder Lōthig Gold/ qvod Chymicorum, Docimastar-  
 rum, & aurifabrorum artificio ex confusione me-  
 tallorum diversorum, aut admistione mineralium  
 ac lapidum, terræve recrementis admodùm impu-  
 rum, separatur beneficio cœmenti, cineritii, Chry-  
 sulcæ, Antimonii &c. de qvibus hîc non labora-  
 mus; cùm ex instituto talia peregerint in primis  
**Modestinus Fachsius, Löhneisen, La-**  
**zar. Erckerus, & laudandus maximè Olaus**  
**Borrichius, in scriptis docimasticis.** Illud poti-  
 us examinamus, an sit veritati consentaneum,  
 qvod **Cælius** affirmat **Rhodiginus**, sum-  
 mus alioqvi Polyhistor Lib. Antiqu. Leđ. XI. c. 13.  
 qui multo mirabilius jucundiusqve opus vocat  
 hoc, in Galliâ baud ita pridem ( floruit is au-  
 tem seculo , post Christum natum , sexto deci-  
 mo adolescenti Insuber ) ex plebe infimâ homi-  
 nem ingenii sagacitate mirâ rationem aliquam  
 excogitasse, quo ex metallo qvolibet aurum se-  
 cerneret virtute aquæ, quam inde Chrysulcā nun-  
 cuparunt. Qvali verò **Arabes, Ægyptii**, nec  
 non **Hebræi** (Moses in Ægyptiorum otñi sapien-  
 tiâ verfatus, & Bezalaël cuin Ahaliab Exod. 31. v. 1. &

35. cap.

• 6 (17.) 20 •

35. cap. laudatus) modum ignoraverint tractandi  
aurum peritissimè, ac separandi ad perfectionem  
debitam, aut repurgandi. Multa eam in rem singu-  
laria Germaniæ *Hippocrates*, B. D. *DANIEL SEN-*  
*NERTUS* ex *Platone* *Diod.* *Siculo*, & *Jamblico*, de  
mysteriis Ægyptior. in Cons. & Dissens. Chymic. cum  
Aristot. c. 3. Nihilominus mirari possis, cur Inst. de

*R. D. §. 27.* *Ulpianus*, ut si ex auro & argento  
factum sit *electrum*, definiverit, communem esse spe-  
ciem; cum aurifabris notissimum sit omnibus, vir-  
tute Aqvæ fortis (qvam appellant) separari sine de-  
trimento hæc confusa antea metalla posse; secùs,  
ac si vina invicem, aut mel cum vino aliquis con-  
fundat. Demus etiam, admixtam æris esse porti-  
onem; singula metalla tamen commodè in offici-  
nâ separatoriâ (ausseiner Seiger-Hütte) vicissim se-  
parari, & restitui integritati suæ possunt. Ut pro-  
ptereà non opus sit in *Ulpiani* gratiam, aut *Al-*  
*ciati l. 6. parerg. c. 2.* discedere à naturali veritate.  
Conferatur eò *Grotius de J.B. & P. l. 2. c. 8 n. 21.*

§. VI. Exposito hactenùs *Obryzo Auro*,  
ne qvid ex Svetoniano loco, crucem figere qvod  
possit, relinquatur, *nummum Asperum* lustremus.  
Transeat, ut hîc imaginemur nobis Turcicam mo-  
netam minimi valoris, numuli nimirum *asperi*, ein  
*Asper*, oder *Asperle*/ familiarem factum adeò victori

militi Germāno, ut in contemptum ferē abeat fre-  
quentia. Per *nummum asperum Turnebus Ad-  
rianus* ille Polyhistor. l. *Adversar.* 18. c. 28. intel-  
ligit benē percussum & recentem, non tritum atque  
ipso usū levem, notis fugientibus. Qvo sensu illud  
*Persianum* accipi censeo *Satyrā* 3.

— *Qvod asper, utile, nummus habet?*

Qui enim pecuniæ amantes erant, in nummis  
fastidiosi erant, delectumqve habebant, & nummos  
perfectissimæ & expressissimæ formæ servabant: ac  
ne aliquis qvidem recipere volebant, qvando & in  
exactione tributorum, plerumqve, ut reor, observa-  
batur. Creditores qvoqve in paciscendo cavere  
solebant sibi cō genere nummorum solutum iri,  
qvod ē *Seneca* conjicimus; cujus verba ex l. 2.  
*Epist.* 19. subscribam: *sed movebis mihi controver-  
siam, si te novi, nec voles, qvod debeo, nisi in aspe-  
ro & probo accipere.* Sic enim in *Seneca* lego.  
*Voles, inquit, habere, ac requires asperum Phi-  
losophiæ nummum, non fugientem & tritam*  
*Mæcenatis monetam.* Eodem sensu scripsit *Maro*  
l. 5. *Aeneid.* *vasa perfecta atq; aspera signis, qvæ si-  
gnis in asperitatem erant cælata.* Legi & in vetu-  
sto libro *aspraturam esse νόλλυθον*, qvod, qvi pe-  
cuniam

(19.)

cuniam permittabat, pro tritâ asperam habere vellet.

§. VII. In Textibus, ex *Theodosiano & Justiniani* Codice depromptis mentio fit *libræ Auri*, mentio fit *solidorum*: ac de librâ qvidem maximè dicamus hîc. Quantitatem strenæ, qvam offerri sibi in Kalendis Anni novi voluerunt Cæsares, definiverunt unâ librâ i. e. LXXII. aureis; non eo sensu, qvasi intra eam summam non fas esset munus principale aliquod offerre; sed qvod supra definitum non liceret numerum. Ætate *Constantini* LXXXIV. aurei æstimabantur, unam confecisse libram; ceu ex *L. i. C. Theod. de ponderat.* apparet. Sed post *Constantinum Valentinianus* rediit ad graviores aureos & statuit, ut LXXII. pro librâ auri qvâvis conflarentur. *L. g. C. de suscep-rib. præf. & arc.* Cùm autem libra non sit uniusmodi, qvæ hîc intelligatur? qværi potest. *Numerat-* *lis* nempe alia, qvam & nummariam appellant, ali-*aque ponderalis*: qvæ, an appensa fuerit ad XII. uncianum rationem? in dividiasabitur. *Didacus Covarruvias Tract. de Coll. vet. Num. c. 4.* & *Dn. D. Abasverus Fritschius*, pro ponderali stant. *Ant. Perez* autem *ad C. 12. tit. 49. n. 4.* certat pro nummaria, *Cujacium* allegans. Li-  
C 3 bram.

(10.)  
bram unam auri scilicet offerri debuisse non in mas-  
sâ, sed in LXXII. solidis *Obryzi*. Quæ posterior  
sententia, à verò abest proprius. Movetur quo-  
que dubium: qualisnam fuerit proportio nobilis-  
simi metalli ad argentum? Tempore **Con-**  
**stantini M.** erat circiter quindecupla. h.e. Ar-  
genti libra una valuit vel 100. libras æris. Auri li-  
bra una argenti libras XIV. valebat. Aliquando  
tamen una auri XIV. argenti libris, aliquando XIII,  
XII, & XI. æstimabatur; ut *Antonius* ostendit.  
*Augustinus l. 2. Emendat. c. 9.* Consule Ma-  
gnif. **ZIEGLERUM** nostrum, disp. ad *Jus*  
*publ. de Jur. monet.* §. 28. Quid autem illa sibi velit  
formula? cum *pondō libras*, sed non *libræ pondus*  
nominant Scriptores veteres? *Gronovius* expo-  
nit Polyhistor *de pecun. vet.* l. 1. c. 6. p. 59. qui &  
2. lib. cap. 7. unam Auri libram X. solummodo Ar-  
genti pondo confecisse, plurimis exemplis docet.  
§. IIX. *Solidi* supersunt expendendi, aurei ni-  
mirum. Solidos argenteos Romanis quoque pri-  
scis vindicavit summus *Caspar Barthius in.*  
*Adv. l. II. c. 20. extrem.* eosdemq; partem sextā unciae  
pendere, i. e. sextam partem uncialis nummi, quem  
vulgo Thalerum vocant, affirmat; *Strauchio*  
invito.

invito; & cum **Gronovio** l. 4, c. 15. de sestert. repugnante in *Kalend. Januar.* in qvorum castra etiam transimus. Antiqui quippe solidi, hoc est integrī, ὀλόνληροι, perfecti, auro solidō, valore justo & perfecto aurei fuerunt. **Solidus** idcircò atque *aureus* Synonyma apud antiquos habebantur, **Isidori** fide, sextulam confiendo, qvòd sex istis uncia constaret. Sic **Budæus** l. 3. de *Asse* f. 154. (ubi solidos hos binas drachmas, id est lemos valuisse scrupulos, testatur) **Glareanus** iterum ac **Covarruvias.** Hoc tempore *quid sibi velit solidus?* an *Aureum Hungaricum* significet? disquiritur ab ornamēto Academīæ Salanæ meritissimo, ibidem olim Ordinario, **Richtero**, in *Centur. Decision. XXXIV.* Sub *Constantini M.* successoribus XII milliariensibus fuisse versum *solidum*, **Gronovius** 2. de *pec. vet. C.* revicit. *Milliariensis* autem X. stūferis Holland. vel *Britannico schillingio* parerat. Cæterum de accuratâ aestimatione solidi accuratissimè **Gronov.** cit. lib. 4. de *pec. vet. C. 15.* à p. 805. per aliquot seqq. egit. Breviter res eò redit. 1. th Gold wieget 2. March oder 48. Karath/ tråget aus 72. Ducaten zusammen. 1. March wieget 16. Loth/ tråget aus 92. Rthl. Fein Gold ist nicht Carathig / aber wohl Löthig.

## CAPUT

CAPUT II.  
De  
ARGENTO PUSULATO.

§. I.

**V**ara Vibiam, ut est in veteri verbo, *seqvitur*. Qvandoqvidem se amant naturaliter ac artificialiter metalla pretiosa nostra; & posterioris Romæ hæ deliciæ appositæ sunt semel, immoremur illis amplius, & hoc qvoque Collybo decoloremus manūs. Quid *Argentum Pusulatum*, sibi velit? quærimus, occasione textuum Suetonii ac Pandectarum. Discrepant vehementer inter se Autores, & leginé debeat *Pustulatum?* *Pa-*  
*stulatum*, an *Postulatum*, an *Pusillatum*? valdè dubitant. *Carolus Molinæus* de mutat. monet. qv. 100. n. 76. Et seqq. de his latè differit. Tandem verò: Ego, inquit, diligenter excussi atq; ponderavi, quotquot invenire potui, in publicis & privatis Bibliothecis libros antiquissimos manuscri- ptos, & in illis omnibus distincte & conformiter scri- ptum inveni *Argentum Pusillatum*. Esse verò illud *Pusillatum* adjectivum à diminutivo *pusillo* censet: qvòd quasi tempore Jctorum veterum in pusillas partes fuerit divisum. Merum eten- nim

(23.)

nim Argentum, dicit, non congruere aurificiis,  
nec vasculariis; præsertim in artificiis subtilioribus;  
sed aliquantulum dilutum operi esse aptius. Præ-  
tereà & *Argentum in pusillas partes divisum* aptis-  
simum ad ponderandum, dividendum, ad con-  
flandum, atque liqefaciendum: ad hæc omnia au-  
tem massam integrum, vel molem minus esse aptam.  
In sequentibus addit modo triplici *Argentum* dici  
posse *Pusillatum*: Primò, qvando Argentum  
nondum est purgatum per ignem, sed è fodinâ eru-  
tum, & pluries vel contusum pistillis, vel molendi-  
nis. Secundò, qvando jam fornace purgatum  
fuit, & est verum cinericeum, inqve aquam ab igne  
dejectum, ac in plures particulas redactum. Tertiò,  
qvando rursus summè excoctum est, ac purum jam  
& putum factum, pariterq; è cupella, ut artis utar  
termino, in aquam injectum & extractum inde. De  
tali verò Argento pusillato, qvale secundo modo in-  
telligit, loqui *L. in navem Sauffeji ff. Locati*, addit.  
Talia **Molinæus**.

§. II. *Guilielmus Budæus, Commen-*  
*tario ad Pandectas p.m. 629. Pastillatum, inquit,*  
*Argentum intelligere possumus, in pastillos forma-*  
*tum; cuiusmodi hodiè Argentum Germani promer-*  
*cale afferunt, quod Cendreas appellant.* Præcedenti  
verò paginâ explicuit uberiùs, qvid per pastillos sit

D intelli-

intelligendum. Hanc verò sibi propriam non vindicat sententiam; sed potius postulatum legendum esse statuit, autoritate *Tranquilli* in *Nerone*; & disertè confitetur, qvòd *Suetonius* postulatum *Argentum* pro purgatissimo & excoctissimo posuerit. Unde autem (pergit *Budæus*) postulatum dictum sit? non facile dixerim. Postulae sunt apud *Celsum* Lib. V. id genus morbi, quod vulgo variolas & rubeolas vocant, morbus in ætate puerili maximè eveniens; ut, inquit ille, raro in medio corpore, sàpè in eminentibus partibus. *Andreas Alciatus* 6. Parerg. 4. mavult postulatum, & inde dictum putat; qvòd, ut victoribus in circò daretur, à qvovis postularetur. *Duætus* autoritate *Juvenalis Satyr.* 7. qvi sic canit: *Accipe victori populus quod postulat aurum.* & *Martialis L.* 7. epigr. 85.

*Nulla venit à me Argenti tibi libra postulati.* Consentit cum *Alciato Haloander*, qvi postulatum pariter propugnat. Sed hæc *Alciati* sententia non se plerisque probat.

§. III. Tot inter lectiones varias & varios magnosque Viros, alteri quæ præferenda sit opinio? non

D

23(25.) 30

non frustrà ambigas. *Scioppio Caspari* placuit  
*argentum postulatum in infania Fanniani*  
*Stradæ p. 41.* inconvenienter; ut ingenuè pro-  
fitear. *Salmasius in notis ad Solin.* fol. 1048. ma-  
vult *postulatum*; & cur de Argento primæ notæ  
postulatum sit dictum, rationem illam reddit; qvòd  
ad cœlaturas non nisi optimum & præstantissimum  
Argentum eligatur: cœlata verò vasa, seu *togeūpa-*  
*re* sint pustulata, i. e. signis aspera. Unde hodie-  
que opus aliquod *togeutinac*, en boße (Position  
oder erhoben Bildwerk) Galli nominant. Miretur  
aliquis *Catellianum Cottam*, *Mediolanensem*  
*Jctum, in memorialibus p. m. 49, seqq. Pastillatum*,  
prætulisse; unde & *pastilli* sunt ( à pasta scilicet) me-  
dicinales. *Nam, ut scripsit* (subjicit ibidem) *Fe-*  
*stus Pompejus*, *pastilli* massæ sunt cujuslibet  
materiæ. Sic & *Flacc.* ser. 1. *pastillos Ruffinus*  
olet. Sed hæc recitasse, sit & refutasse; qvia nihil  
ad Andromachen in applicatione, aut ad Rhom-  
bum. *Vossius Argentum putum, sive*  
*pusum*, inde pusulatum, pro excocto atq; expur-  
gato accipit; non male qvoad senium & originem.  
Quantumvis enim *Pusulati* scriptio se nobis  
D 2 probet;

probet; facimus cum **Cælio Rhodigino** tam  
en, qui, *sciendum*, inquit, (in *Antiqu.* Lect. l. 24.  
extrem. cap. 26.) *pusulam à pustulâ diversam esse*;  
*q* uippe *sacrum ignem pusulam pastores vocant*; un-  
de *pusulosæ* etiam dicuntur oves **Columell.** Lib.  
7. c. 5. Rectè equidem **Cujacius** in observatio-  
nibus **Argentum pusulatum** idem esse judi-  
cat, ac *pustulatum*, sed non postulatum, **Alcia-**  
*tis* sensu; ut intelligatur merum in coquendo, & in  
pusulas assurgens, (*argent de cupelle*) i.e. cupel-  
liret und auff dem *Test* sein abgetrieben Silber. Ra-  
tiones interim non exhibet sufficientes in sequen-  
tibus: *Et pustula dicitur, & postula. Tibullus:*  
*Læderet aut teneras postula rupta manus.* Apud  
**Plin.** H. N. l. 12. c. 25. quathor locis veteres libri  
habent pustulas. Confer *librum ejus* 21. c. 15.

§. IV. Unitus adhuc **Adriani Turnebi**,  
summi olim in Philologiâ quoq; Viri, placet hîc  
adducere sententiam ex *Advers.* l. 24. c. 2. Defendo,  
scribit, ut *adversus eorum sententiam recte legi*, in  
*Juris consultis*, veluti cum *argentum pusulatum* fa-  
bro daretur, ut *vasa fierent*. *Quas enim pustulas*  
*vocamus, pusulas etiam ab antiquis vocatas, in ve-*  
*nio: quod Pliniani Codices vetustissimi locis infini-*  
*tis.*

tis ostendunt, sed fastidio occurrent, uno contentus  
ero lib. 26. cap. 8. Est enim tam ferventis naturae,  
ut per se extra corpori impositum, pusulas ignium  
modo faciat, & pro caustico in usu sit. Pusula.  
Columellæ lib. 7. cap. 5. ignis est sacer, unde pu-  
sulosa, vel pusilosa ovis; u autem & i sapè inter-  
se immutantur, ut optimus, optumus. Pusula igi-  
tur pustula est; & pusula dicitur ignis sacer, qui pu-  
stulas passim, quā depascitur, attollit, nomenq; ex  
eo habet pusula, quia pus continet. Pustulatum  
igitur argentum & pusulatum, vel pusilatum nihil  
differre existimo, rectèq; sic appellari suspicor: quin  
& postulatum, prasertim cum u. in o. non raro mi-  
gret. Deinde removendo alias sententias, qvas-  
jam tūm adduximus, ita pergit: Nos quoque in  
vernaculo sermone, perinde quasi posula, pro pusu-  
lā interdum diceretur, mutato p in b tumorem bosu-  
lam appellare solemus. Verius tamen puto pustulatū;  
Argentum & pusulatum dici, quām postulatum.

§. V. Nobis si vel minimus, idemq;, post tot  
Viros graves, ultimus relictus locus est, ut, qvid de  
**pusulato, pustulato, postulato** videatur.  
Denique Argento statuendum: preferamus, mit-  
tere in compendium id liceat. Tenendum pro-  
certissimo, **Alphenum** in antiquitate omni ver-  
satissimum, non obiter id posuisse nominis, sed ut

excitatores redderet. Lectores, datâ velut operâ, Suetonii exemplo, artis terminum adhibuisse, ut ex monetariâ re *pusulatum* pro purgato & excocto perfectissimè exponeret. Illustrat dicta A. Gellius in N. Att. l. 6. c. c. Alphenus J. C. Ser. Sulpitii discipulus, rerumq; antiquarum non incuriosus in lib. Digestorum 34. Collectaneorum autem secundo: In fœdere, inquit, quod inter Pop. Rom. & Carthaginenses factum & scriptum invenitur, ut Carthaginenses quotquot annis darent Pop. Romano centum pondus Argenti puri puti: quæstumque est, quid esset Argentum purum putum? Respondi ego, inquit, esse purum putum valde purum. Et paucorum interjectione: Argentum ergo in Carthaginensi fœdere putum dictum esse, quasi exputatum excoctumq; omnig; alienâ materiâ carens, omnibusque ex eo vitiis detractis, emaculatum & candefactum. Sed cur purum putum etiam vocavit hîc Alphenus. Nihil, inquam refert; modò rei nihil mutes. *Pusus, a, um,* veteres & putum pro eodem habuerunt. Testes Varro l. 6. & Lucretius. A *puso* *pusula* & *pusulatus*, *pusulosus*. *Pusula* *pus* in diminutivo quoq; notat. *Pusulatus* Francisc. Gouldmann rectè ita reddidit in *Anglicano Lexico*; *foll of blisters*, Græcè Θλυκταινώδης. Argentum purum scilicet & putum, qvò perfectius, hoc magis amat pusulas, aut pusulas. Et Isidorol. 4. Origg. turgidam insu-

in superficie corporis collectionem notat, pustula.  
*Putare* veteres, interprete *Varrone*, l. 9 de LL. pu-  
 rum facere vocabant. Hinc *putare* arbores, puta-  
 re vites, rationes; testibus *Pompejo Festo* adb. v.  
**Gellio** ḡ, loco ante allegato: inde disputare, quando  
 ratio purgatur, ut exponit *Varro* iterum. Quidni  
 de Auro & Argento idem valeat? Possemus h̄c  
 Argenti facti signatiq̄e & infecti pariter adjicere  
 varietatem; sed cūm pr̄ter mente m̄ & errārit ca-  
 llamus in ampliora spatia, & isto nos labore jusserit  
**Gronovius** supersedere lib. 1. de pec. vet. c. 7. h̄c  
 acquiescimus, soliq; DEO nuncupamus gratias  
 perennes.

\* Ad pag. 9. §. 2. refer has lineolas omissas. Eleganter admodum Job. Brau-  
 nius, *Palatinus*, de his Auri vocibus diversis scripsit in *Vestitu sacerdotum Hebre-  
 or. l. 1. c. 10. Ubi Aurum schachur textile appellat, solis hodie Venetis notissi-  
 mum per pannos aureos texendi artificium. Addit Aurum Mesukak, & Tob,  
 bonum scil. quod pro re utilissima vereq; bona hodieq; Top, Top, pro  
 Tob, vulgo vocatur.*

AD NOBILISSIMUM ET PRÆSTANTISSIMUM  
 DN. RESPONDENTEM.

**D**um summam auri notam exploras, & quæ  
 obrizi præstantia sit, aureolâ Dissertatione  
 exponis, ipsum Tuum ingenium ejusque dotes  
 describere mihi videris. Nec enim uti nu-  
 cleus ex fractione nucis, patescit illicò, ita eti-  
 am ex glebis metallicis illicò se prodit splendi-

da

• 6 (30.) •

da auri massa. Contusione opus est, tum & adustione, & longâ atque prolixâ coctione, si talem habere velis. Et sic etiam ingenium ita præparasti hactenus, ut omnem virtutis atque eruditionis nitorem ostendat nunc, & in indice reluceat mens recta. Est enim verò illud auro non citra miraculum peculiare, ut igni admotum non solum non fiat deterius, sed magis ac magis enitescat, & illi uninihil omnino depereat, durante etiam in gravissimis incendiis & fortiter resistente nobilissimâ materiâ. Haud aliter enitescit in Te virtus, eaqve qvò sæpiùs per exercitia Academica, perqve labores strenuos & parum jucundos qvandoqve, exarserit, hoc magis proficiet ad bonitatem & eruditionem, cuius utriusqve solida pridem posuisti fundamenta. Maecte Tuis his conatibus: perge viam, qvam cœpisti, decurrere porrò, & ad finem, qvem intendis, properare ne desiste. Sic enim referes aliquando amplissimum Tuum PARENTEM, & continuabis gloriam, qvam ILLE sibi jam comparavit, immottalem, Teq; ipsum exemplum statues, futurisetiam seculis, si qva expectanda fuerint, nunqva intermoriturum.

*gratul. adjecit*  
**CASPAR ZIEGLERUS.**

*Nobilissimo Juveni,*  
**JO. SAMUELI, SAMUELIS F.**  
**STRYKIO,**  
ad summa nitenti,  
publicè disputaturo,  
**C. S. SCHURZFLEISCHIUS.**

**M**agnæ sunt ingenii tui facultates, qvas dudum cognitas habeo, & augeri indiges, intelligo, mihiqve summæ voluptati esse fateor, ac magnopere gaudeo, omnium sermonibus prædicari. Cujus tuæ laudis cum multa specimina experimentaqve sint, tum illud non postremum esse judico, qvod abs te datum est in eo eruditionis genere, qvod per se elegans est, & juris scientiam non mediocriter exornat. Nam qui bona sua nôrit, sapiens est, & utilitati suæ tempestivè consulit, ac studet rebus egregiis, qvas & honori sibi, & reipublicæ usui putat fore. Idcirkò literas, qvæ

fontes doctrinæ aperiunt, non spernendas du-  
xisti, sed summâ animi contentione excole-  
das suscepisti, lucemqve veritatis historiam  
appime gnaviter conjunxisti, tanto omnium  
applausu & gaudio, qvanta de te expectatio fu-  
it. Testor eruditos, qui bene tibi cupiunt,  
conatumqve probant, & magni aestimant  
operam, quam in argumento non trito posi-  
tam esse sciunt. Equidein scite perqviris ac  
investigas aurum *Obryzum*, & quale sit, expli-  
cas, & quomodo scribi oporteat, auctore Pli-  
nio definis. Nemo dubitat, quin purissimum  
perfectissimumque auri genus intelligatur,  
quod numi veteres, florentis Imperii testes,  
apertè indicant, & abunde demonstrant. So-  
lidi tam fabrè, quam pure facti, passim noti  
sunt, & *obryziaci* cum primis ( iidem qui in  
juris codice *obryzati*) celebrantur, quorum u-  
sus fuit perfrequens, maximè in solennibus vo-  
tis. Sed vitio temporum sàpe auro multum  
æris admixtum est, ut artifices aurum in auro  
quærerent, ac spe frustrati, non *obryzum*, sed  
*aerosum* invenirent. Hujus notæ sunt numi  
qui-

quidam rudes, artisqve Romanæ expertes,  
quos vulgò *Gothicos* nominant, quorum ma-  
teria quidem præfert auri speciem, sed qvod ab  
obryzo facilimè distinguas. Aurum ad obru-  
sam Svetonius prodidit, cuius ratio abs te con-  
fecta explicataque est, ut nemo futurus sit in-  
posterum, quiexploratum habeat, quo argu-  
mento *Obryzum* scribas, quod *Obrusum*, sive  
*Obrussum* plerique scribendum esse, conten-  
dunt. Alii, quibus orium est, viderint: ego  
facilè in tuam discedo sententiam, quæ & ori-  
gini suæ responder, & auctoritate se tuerur.  
Nova, necdum apud omnes recepta Plinii le-  
ctio est, quæ *Obrusam* ingerit, obryzumqve ex-  
pungit. De argento *Pusulato* vere omnino con-  
stituis, & veteris Jure consulti vestigia persequen-  
ris, apteque cuncta profers & promis, neque  
tamen litem intendis Svetonio, *pustulatum* le-  
genti. Utrumque rectè habet, & retinendum  
est; alterum duco alio Alpheni testimonio ni-  
titur, quod in Pandectis Florentinis, emenda-  
tè scriptis, etiamnum legas: alterum vindicat  
probus, & manu exaratus codex, cuius verba  
lite-

literasque moveri loco, & audacter mutari non  
patiamur. Illos autem ultrò laceffis & postu-  
las, qui vocabulum *postulati* inserunt, codicem-  
que ex ingenio corrigunt, atque in varias for-  
mas temere licenterque fingunt. Age verò pro-  
ponas tibi illustre & sempiternum decus MA-  
GNI PARENTIS, cuius summa extant in rem-  
publicam merita, quæ finitimi suspiciunt, &  
remoti exterique admirantur. Qui consilio  
te juvat, & exemplo excitat, instruit, atque con-  
firmat, vir idem ævi nostri maximus, & Juridi-  
ci Ordinis propter Viadrum Papinianus ac prin-  
ceps, ubi & Academiam ornat incomparabili  
doctrinâ, & aulæ expectationem sustinet in-  
credibili virtute, & denique jurisprudentiæ  
gloriam præstat tueturque animo constanti: de  
quo nihil tam egregium dici potest & ma-  
gnum, quin prorsus ei meritoque conveniat,  
& revera etiam amplius quiddam ipsi debeatur.

Ex Museo Vitembergæ Saxonum

clo lœc XXCVIII.

NON. APRIL.

01 A 6541  
f




IA → OL

kor  
vD 17



## FarbKarte #13



De  
OBRYZO,  
Et  
NTO PU.  
LATO,  
ur. Civ. loca quædam,  
RÆSIDE  
GIO CASPARE  
HMAJERO,  
ctorali Saxonum ad  
cad. Prof. Publ.  
eptore, ac Patrono suo  
n devenerando,  
utabit publicè,  
is Horis Antem. in Audit. Maj.  
M DC LXXXIX.  
AUTOR  
SAMUEL STRYKIUS,  
cof. Marchic.  
TTEBERGÆ,  
I SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

28. 18